

qualibet provincia colloquuntur. Et hunc solum nostri sermonem ediscunt, neque enim cujuslibet Prouinciæ sermo usquam necessarius, sed neque urbanus est, aut à politioribus in colloquium, nisi forte à contribulibus domi familiariter vel foris ad patriæ memoriam adhibetur. Eumque sermonem ipsi pueri ac mulieres omnes norunt frequentia ipsa difficultatem superante.

Audio apud Iaponios supra characteres hos, qui ab Sinis eo penetrarunt, alphabeti, elementorumque paucorum, more nostro usum reperiri, quo ipsis suum idioma scribere sine infinita illa Sinensium characterum farragine licet; idem fortasse vicinis, quas supra memoravi gentibus commune, verum apud Sinas ejusmodi elementorum nullus usus, sed neque vestigium; atque ideo characteres ipsi suos, ac figuras, à prima pueritia ediscunt,

ad